

bit in Summa, non dissonant a contentis in Scripto. Imò ad saluandum verba Aristotelis & Victorini, & aliorum, oportet fateri, quòd distinctio illa à Bonauentura, ac alijs nunc præfatis inducta, sit vera. Ex prædictis quoque patet argumentum solutio. Vti nanque est actus rationis: vt dirigentis, & secundò diuersas suas actiones potentis potentis comperit, sicut ostensum est.

Solutur argumenta

Opinio Durandi.

¶ Amplius de hac re scribit Durandus: Vti importare uidetur applicatione rei ad suam operatione. sicut enim usus importat operationem, ad quam res applicatur, sic uti est rem suo ului applicare. sic nanque uidetur se habere, vt ad vsum, sicut mouere ad motum. Mouere autem est motum causare, ergo, & vti est usum causare. In hoc tamen est differentia, quia mouere dicitur omne, quòd causat motum, siue naturaliter siue liberè moueat: sed utens non est propriè, nisi quòd usum causat liberè. Hinc uti est actus uoluntatis, tanquam elicentis, non alterius potentie, nisi secundum quid, & per attributionem ad uoluntatem. Vnde sicut abuti, ita & uti est uoluntati. Vti quoque, & frui sunt eiusdem potentie, ac virtutis. ideo sicut frui est actus uoluntatis, & charitatis, ita & uti. Quemadmodum enim ex charitate Deo finaliter inhaeremus, ita ex charitate contingit, quòd nos ipsos, & alia ordinamus in ipsum sicut in vltimum finem. Denique frui in cludit ipsum uti, sicut inferius suum superius. Vel uti se habet ad ipsum frui, sicut uoluntas eorum, quæ sunt ad finem, se habet ad uoluntatem finis. Et qui quod horum dicitur, constat, quòd uti, & frui ad eandem spectent potentiam. Hæc Durandus, qui in hac materia concordat Thomæ, ac cæteris iam præfatis, dempto Aegidio.

QVÆSTIO II.

Secundò quaeritur, quibus rebus sit utendum, an scilicet solo bono creato, an etiam cum malis creatis, & an malis penis, & culpa. ¶ Videtur, quod non solum bono creato. Multi enim etiam iusti seruunt Deo intuitu præmij, & ita in præmio statuunt sibi vltimum finem, ergo referunt Deum ad præmium suum, sicque utuntur Deo, & præmio illo fruuntur. Vnde de Moïse, ait Apostolus, quòd apexit in remunerationem. Et Psalmista. Inclinaui, inquit, cor meum ad faciendas iustificaciones tuas in æternum, propter retributionem. Secundò, beatitudo sanctorum qua Deo formaliter perfruuntur, est quid creatum: & tamen ea fruuntur, cum sit vltimus finis, & res per se amabilis. Tertio, quia uirtutibus esse fruendum tanquam bonis per se, & propter se appetendis, prout in textu arguitur. Quarto, Apostolus scribit ad Philemonem: Ita frater ego, te fruar in domino, & alibi, si uobis primum fruius fuero, ergo hominibus est fruendum. Quintò, creaturæ auertunt à Deo, puta diuitiæ, delicia, & honores, non ergo eis utendum est: quia ut ex uerbis patuit Augustini, Vtimur his, quibus inuamur ad beatitudinem obtinendam. Sextò, demonibus non est utendum, neque ariolis, neque maleficijs, nec prauis consortijs, quæ omnia nos, à Deo, impediunt. Non ergo omnibus creaturis, similiter nec uenenis. Septimò, quia mala præsertim culpabilia directè à Deo auertunt, non igitur est eis utendum. Octauo, uti est aliquid in facultatem uoluntatis assumere: quæ autem in facultatem uoluntatis assumuntur, potestati, & operationi subiacent assumentis. talia autem non sunt angeli, neque coelestia corpora. ergo eis uti non possumus. Nonò, quia sequebatur, quòd omnem actum teneremur in Deum referre, & pecca-

Arguitur contra uoluntatem.

Heb. 11. Psal. 118.

Ad phil. Roma. 15.

Aegidius.

Augustinus.

Augustinus.

remus quandoquocumque non faceremus hoc.

¶ In oppositum est determinato Magistri in litera ex Augustini doctrina.

In oppositum.

Thomas

¶ Ad hanc Thomas respondet: Nulla bona habet bonitatem, nisi inquantum ad similitudinem bonitatis diuinæ accedunt. Vnde cum bonitas sit ratio desiderij, ac amoris, oportet ut omnia in ordine ad primam bonitatem amentur. Omne autem, bonum à Deo est. vnde quæ ab ipso non sunt, nec quaerenda sunt, nec eis utendum est. ideo nullo peccato utendum est, quia peccata à Deo non sunt. poena verò à Deo est, ideo utendum est ea, & est ordinanda ad finem, inquantum promouet meritum hominis, ducens eum in agnitionem suæ infirmitatis, & purgans a uitijs. Similiter rebus mundi utendum est, inquantum conferunt ad Deum cognitionem, & necessaria præbent uitæ, in Deum ordinatæ. Sic, & opera uirtuosà à Deo sunt, & propter ipsum agenda sunt: non quæ quilibet operatio nem oporteat referre actualiter in Deum referre, sed sufficit, quòd homo habitualiter in Deo constituat finem suæ uoluntatis. Hæc Thomas in Scripto. qui ait in Summa: Vti (ut dictum est) importat applicationem alius ad aliquid. quod autem sic applicatur, habet rationem mediæ ad finem. Hinc uti semper est eius quòd est ad finem. vnde accommodata fini adijciscendo, dicitur uti, & ipsa utilitas interdum usus uocatur. Verùm uultus finis dupliciter dicitur. Primò simpliciter, secundò quo ad aliquid. Cum enim finis dicitur quandoque res ipsa operata, quandoque adeptio, siue possessio eius, sicut auaro finis est pecunia, uel possessio pecunie: hinc loquendo simpliciter, uultus finis est res ipsa. Non enim possessio pecunie bona est, nisi propter pecunie bonitatem. sed quo ad hunc, possessio pecunie est finis. Non enim quaerit auarus pecuniam, nisi ut habeat eam. ergo propriè simpliciterque loquendo, pecunia fructur, qui in ea sibi constituit finem: sed inquantum referat eam ad possessionem, dicitur ea uti. Hæc Thomas, in Summa. Cui concordat Richardus.

Pecò non est utendum sed poena.

Thomas in Summa

Duplex uultus finis.

Ratio Pec. uti.

Vti aliquo quadrupliciter est contingit.

¶ Petrus uero respondet: Sicut ad consummandam domum utitur artifex securi, & arte, ac labore atque materia, sic in spiritualibus contingit aliquo quadrupliciter uti. Primo, ut instrumentum coniuncto, quo operantur. sic utendum est non omnibus, sed potentijs, per quas in finem ordinamur. Secundò, ut habitu, quo regulamur. sic non omnibus est utendum, quoniam habitus uitij magis obliquit, quam dirigit. Tertio, ut actu, quo mouemur. sic etià actibus deformibus non est utendum. Quarto, ut obiecto, circa quòd inclinamur. sic omnibus quæ in facultatem uoluntatis possunt uenire cum intentione referendæ in finem, utendum est: & tale est omne aliud à fine. Potest enim aliquid assumi in facultatem uoluntatis quadrupliciter, scilicet uoluntatis operantis, ut propria operata bona: uel approbantis, ut bona aliena: uel tolerantis, ut mala poenæ nostræ, & culpe alienæ: uel respicientis, ut propria culpa. Hæc Petrus.

¶ Preterea Aegidius circa hæc scripsit: uti dupliciter sumitur. Primo largè, & ita nil aliud est, quam aliquid in facultatem uoluntatis assumere, & quoniam ipsum finem in facultatem assumimus uoluntatis, ut in ipso quietemur, & quiescamus, idcirco sic fumendo uti, etiam Deo, sine quo ultimo uitimur. sicque decimo de Trinitate asserit Augustinus, quòd uti in uoluntate, est pertractare, ea quæ sunt in memoria, & intelligentia cont-

Postio Aegidij. Accipitur uti dupliciter.

August.